

1589 adhaerant, læsæ majestatis reas decernit: ni Principes mensis spatio ejus mandatis obtemperent, cunctis honoribus dignitatibusque una cum posteris spoliaturum edicit. At ea re foederati nequaquam inflexi, majori nixu in Regem incumbunt; undique arma ac milites cogere, externa auxilia solicicare, regni ordinum, vicesgerentis nomine, pecunias colligere; mandata literasque novo sigillo subsignare; omnia Regis munera, nomine excepto, usurpare. His Henricus permotus, quantas maxime possit copias cogere statuit; missis per provincias literis, nobiles equitesque ad se vocat; a Lutetia in Turonensem civitatem juris dicundi facultatem transfert; cunctis dignitatibus, privilegiis, magistratibus Lutetiam rebelllesque urbes excidisse pronuntiat: hæc eo consilio agit, si forte, priusquam ad arma descendenter, facti veniam exposcant, atque in fidem regiam se tradant. Nobilitate coacta, de bello administrando pertractat; novos delectus haberi, tormenta expediri, pecunias undique conquiri jubet. Aurelianenses in Henricum primi arma capiunt. Nam cum civitas jam descivisset, paucisque militibus regio nomine arx defendetur, oppidani eam demoliti, tormentis verberare incipiunt. Propugnatores per aliquot dies ruinas tutati, numero impares, loco diffisi deseruere. Aureliani exemplo, aliae civitates foederi se adjungunt.

*Maynias
Dux a Parisiensibus
Pro rex pronuntiantur.*

Parisienses, Henrici imperio excusso, re variis sententiis agitata, tandem communi consensu Galliæ Proregem ac patronum Maynium pronuntiant, donec, comitiis quamprimum votatis, ea in re decernatur. Interea, ut cuncta ex ordine atque auctoritate administrentur, singulis edictis sanctionibusque Ducas nomen præfigi jubent. Bina sigilla conficiunt, quorum uno in generalibus comitiis, altero in Parisensi consilio utantur; verba utrique inscripta: *Regni Galliæ sigillum*. Maynias interim Lutetiam accedit; summis honoribus excipitur; ad priscam religionem, regiam dignitatem atque auctoritatem fartam tectamque tuendam, jus ex æquo reddendum, ecclesiasticorum ac nobilium privilegia immunitatesque servandas, leges regnique constitutiones retinendas, injurias a subjectis repellendas, jurejurando fese adstringit.

Henricus, præcisa proorsus pacis & concordiæ spe, cum armis decer-

*Henricus
Regis ad
bellum ap-
paratus.*

*Aurelia-
nenses con-
tra Regem
arma ca-
piunt.*

*Maynias
Dux a Pa-
risiensibus
Pro rex pro-
nuntiantur.*